

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Senectus m cum fonte primo

Inter abusiones huius seculi sola maior est senis obstinatio qui morti proximus mortis non abhorret aduentum, qui quasi ad ostium mundi huius positus foris spectat, nec tamen uite presentis attendit egressum nec future considerat. Audit nuncios mortis, et cedere non uult eis. Tres sunt enim nuncii mortis: casus, infirmitas, senectus; casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nunciat; casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus presentem. Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis grauitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio sed afflictio et humilitas sequi deberet.

Hugo de clauistro anime libro II.

Inter abusiones hujus saeculi sola major est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis adventum non exhorret, qui quasi ad ostium mundi hujus positus foris spectat, nec tamen vitae praesentis attendit egressum, nec ingressum futurae considerat; audit nuntios mortis, et credere non vult eis. Tres sunt enim nuntii mortis: casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denuntiat.
Casus mortem denuntiat latentem, infirmitas apparentem, senectus praesentem. Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed humilitas sequi deberet.

Hugo de Folieto, *De clauistro animae libri quatuor*, 2, 15 (PL 176, col.1064C-D).